12218
Lane Medical Library

DE HEPATIS VI ET DIGNITATE IN MORBIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. M. AUGUSTI A. MDCCCXL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Josephus Semon
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
E. FRIEDBERG, MED. ET CHIR. DR.
W. FRANZ, MED. ET CHIR. DR.
A. BRUCK, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO

SAMUELI COHN,

MED. ET CHIR. Dr.

NEC NON

FRATRI AMATISSIMO

CAROLO SEMON

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Artem medicam experimentis quotidie fere institutis tam laetam obtinuisse sortem, ut nulla fere hujus scientiae pars spreta manserit atque inculta, inter omnes constat. Qui successus egregius, etsi animum uniuscujusque consolari atque erigere debet, tironi, qui secundum leges academicas non minus benignas quam sapientes specimen aliquod suae facultatis exhibeat oportet, haud vanum incutit pavorem. Timendum enim ei est, ne argumentum, quod tractandum sibi sumsit, aut tritum sit, aut nimis pervulgatum, aut exiguum virium suarum modum excedat.

Quae quum ita sint, multi fortasse mirabuntur, quod equidem rei tam amplae ac difficili operam impenderim, quum neque medicorum peritorum sententias, si ambi-

guae sint aut perversae, corrigere me deceat, neque nova et meliora ex proprio penu sumta addere liceat.

Itaque Vos, LL. BB., si qui futuri sitis, non ignoretis velim, me quum de hac re scribere proposuerim, nihil aliud spectasse, quam ut ea, quae ab excellentissimis viris apte recteque dicta mihi visa sint, in lucem traherem, meamque ipsius sententiam passim modeste interponerem. Sin autem hic illic erraverim, aut delectum minus bonum habuerim, Vos per indulgentiam vestram facile me excusaturos esse spero atque confido.

Summo ingenio praediti Graeci primi fuerunt, qui, ut omnem aliam, ita quoque artem medicam colebant eamque ad magnum perfectionis gradum evehebant (1) neque Hallero aliisque viris celeberrimis assentire possum, qui medicinam ab Aegyptiis deducendam existimant, quippe quibus rerum medicarum cognitio ante Ptolemaeos tam rudis esset atque inculta, ut cuique fere bestiae medicatas tribuerent vires. Graeci contra facultate, ut ita dicam divina praediti, sublimiora appetentes, causas et leges na-

---

(1) Kurt. Sprengel, Geschichte der Arzneikunde Bd. I. pag. 271. Weder in Aegypten noch in Indien, weder in Palästina noch in Rom, sondern allein in Griechenland sind die ersten Keime wissenschaftlicher Kultur aller menschlichen Kenntnisse zu suchen. Heckers Geschichte der Heilkunde. Bd. I. p. 47. Den Griechen verdanken wir die erste wissenschaftliche Begründung der Heilkunde, durch denselben Geist, der den Grund zu allen übrigen Künsten und Wissenschaften legte, und viele zu idealischer Vollkommenheit erhob.

turae, secundum quas omnes res in universa natura conformantur, perscrutati, maxima de genere humano sibi conciliaverunt merita.

Haud ineptum erit, ut opinor, si disquisitionem meam persecuturus eam ingrediar viam, ut, antequam singulorum virorum sententiam de hepatis efficacia in morbos explicem, uniuscujusque systema paucis verbis attingam.

Ab Anaxagora, illo Empedoclis coaevo, ordiri liceat. Hic, quum crederet, corpus ex similibus materiis componi, quae per affinitatem eximiam inter se conjunctae vitam constituerent, novi simul systematis pater vocatus est, quod post multos casus Stollium potentem atque gravem invenit defensorem (1). Statuit Anaxagoras, bilem omnium fere morborum acutorum esse causam, cujus abundantia ad pulmones, pleuram et venas adfluat. Opinioni autem huic summus contradicit Aristoteles, qui cadaverum sectione probavit, in multis casibus bilem morborum causam non esse. Nonne magnam acutorum morborum notitiam et haec Anaxagorae opinio et illa Aristotelis refutatio ostendunt?

Ab Hippocrate magno atque divino artis medicae conditore historiam ulterius persecuturus antiquam jecoris atque bilis pathologicam dignitatem in lucem proferre atque uberius confirmare conabor. Ex multis Hippocratis locis sententia ejus de ampla bilis vi et efficacia nobis patet. Putabat ille, in humoribus corporis cardinalibus, imprimis in sanguine, causam esse morborum, chronicorum originem plerumque ex atra et flava bile pro-

---

(1) A. F. Hecker, Systeme, Theorien u. Heilmethod. S. 18

fluere nuntiat. Corpus hominis, ait, in se ipso sanguinem, pituitam et duplicem bilem, atram et flavam continere, valetudinemque ex his dependere (1). Sanitatem in aequilibrio humorum consistere, si vero istorum quantitas vel qualitas turbetur, morbum oriri. Anni tempora, pergit, influunt in humores mutandos; ita hiberno tempore, quo pituita uberior esse solet, catarrhos, verno, ubi copia sanguinis major est, haemorrhagias, aestivo tempore, bile flava praedominante, vomitus biliosos, diarrhoeas, autumno denique ex bile atra lienterias et dysenterias oriri (2) tradit.

Ita Hippocrates morborum originem partim ex iis, quae in corpore insunt, e pituita et bile, partim vero ex iis, quae extra obveniunt, derivandam esse putat, et ex allatis satis apparebit, Hippocratem in morborum genesi hepatis secretum maximi momenti habuisse. Si discipuli Hippocratis viam, quam magnus ille vir iis ostenderat, secuti essent, ars medica brevi magnum perfectionis gradum obtinuisset, sed illi, qui Hippocratem sequuti sunt, paullatim a via experientiae atque observationis deflexerunt, ut vanis et falsis somniis indulgerent, variaque e philosophorum sectis sumta in medicinam deferrent.

Huc inprimis spectat Platonis sententia de animae

---

(1) **Hippocrat.** de elementis.
τὸ δὲ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου ἔχει ἐν ἑωϋτῷ αἷμα καὶ τὸ φλέγμα καὶ χολὴν διετὴν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν, καὶ ταῦτ᾽ ἔστιν ἡ φύσις τοῦ σώματος, καὶ διὰ ταῦτ᾽ ἀλγέει καὶ ὑγιαίνει.

(2) **Hippocrates:** περὶ νοσευμάτων τῶνδ᾽ ὡρέων, τοῦ ἔτεος, καὶ τίνες ὧραι τοῖσιν φαρμάκοισιν ἐπιτήδειαι

ejusque facultatum habitaculo. Animae humanae altera pars mentis est compos, altera insipiens. Altera in capite, altera in pectore habitat et inter utramque dii immortales collum interposuerunt, ne, illis dimicantibus, clara sapientis animae regio perturbetur. Omnes animales cupiditates contra in hepate habitant, et vehementiores quidem in vesicula fellea et porta, mitiores in parenchymate hepatis. Elementa, ex quibus corpus componitur, quatuor sunt, quae aut uberiora aut deficientia, aut ab alio loco ad alium translata morborum omnium proximam causam constituunt (1) ita ex elementorum anomala ratione corruptelae oriuntur et ex his morborum differentiae.

Hac autem corruptela nutritio aegrotat, humores inordinate moventur et solidae corporis partes solvuntur. Quare si partes vetustae et induratae liquefactae fuerint, bilem atram et acrem oriri, si vero partes musculares et tenues calore interierint, flavam bilem fieri docebat (2). Bilis inflammata morbos acutos et ardentes procreat, ex putrescentia atrae bilis morbi chronici et epilepsia ortum ducunt (3). Morbos quoque animae Plato non neglexit, quorum originem partim ab excessu in gaudio et dolore partim ex corpore ipso, ut medulla spinali, partim ex educatione derivavit. Platonis febrium explicatio ea erat, ut in ignis abundantia febrium continuarum, in majore aëris copia quotidianarum causam quaereret, et ab

---

(1) Plat. Tim. pg. 413.
(2) Hecker, Systeme der Medizin. p. 37.
(3) Plato, Timae. p. 447

abundantia aquae et terrae febrem tertianam et quartanam deduceret. Hippocratis de origine febrium opinio cum illa Platonis commixta apud omnes fere medicos usque ad Galenum mansit, ita ut bilis in sanguinem recepta prima vehementiorum febrium causa haberetur. Venio jam ad Aristotelem, qui hepati proxime a corde magnam tribuit vim in sanguificationem. Sed non omnino bilem ad sanguificationem necessariam putat, sed aliis quoque corporis humoribus sanguinem misceri dicit. Ab Hippocrate autem eo dissentit, quod in bono corporis statu bilem in vasis haud existere dicit. Sanitatem in aequilibrio humidi et sicci, calidi atque frigidi, morbum in disturbatione atque disproportione horum posuit (1).

Magis magisque medicos praecepta Hippocratis negligere et a pulchra et simplici illius doctrina aberrare videmus. Ita Praxagoras Cous, qui de anatomia bene meruit, humores quatuor ad decem auxit. Assumsit humorem dulcem, aequaliter temperatum, vitreum, acidum, nitrosum, salsum, amarum, viridem, vitellinum et tenaciter mordacem, ex quorum bona aut mala conditione valetudinem et morbum derivat (2). Nutrimentis quoque magnam tribuit vim in morborum genesin, ita ut ex calidioribus morbi biliosi, ex frigidioribus pituitosi oriantur. Maximam autem auctoritatem Erasistratus, neglecta humorum corruptionis theoria, hepati dedit. In hepate enim sanguinem praeparari, et usui suo melius adaptari

---

(1) Problemat. sect. I. quaest. 3.
(2) Heckers Systeme. §. 29. p. 41.

docuit. Ceterum aliam quoque functionem hepati tribuit. Habebat hepar organon quasi purgatorium, per quod bilis superflua e corpore eliminetur et hoc modo materia ad nutriendum aptior reddita facilius a vasis excipiatur et in sanguinem convertatur. Aretaeus, qui eandem fere de hepatis functione tulit sententiam, venarum praeterea originem in hepate ponit (1), atque icterum obturatis ductibus biliferis oriri docet (2), simulque in his morbis sanguinem e vena missum crassum, biliosum, nigrum concretum, faeci in oleo subsidenti similem describit.

In illis de sanguificatione praeceptis Galenus assentitur viris, quos dixi. Illa ab Hippocrate dicta Galenus latius exposuit. Ex his apparet, veteres medicos bilem atram non semper habuisse pro morboso humore, sed tunc tantum, cum vel copia superaverit reliquas sanguinis partes, vel secedens ab iisdem collecta fuerit in quibusdam corporis locis. His rationibus inducti crediderunt, flavedinem seri sanguinis a bile flava pendere ejusdem plasticam tenacitatem a phlegmate, sive pituita, ruborem a sanguine stricte dicto, nigritiem autem ab atra bile oriri statuerunt. Distinxit autem Galenus humorem melancholicum ab atra bile (3) dicens: Ad hunc vere modum inaudire oportet humorem melancho-

---

(1) Liv. secundus. Cap. VII. περὶ τῶν κατὰ τὸ ἧπαρ ὀξέων παθῶν.

Ἐν ἥπατι τοῦ αἵματος ἡ γεννα καὶ ἐς τὸ πᾶν ἔνθεν ἡ τοῦ ἀρεψή. Καὶ τὸ ξύμπαν ἧπαρ ὁκοῖον αἵματος πάγος.

(2) De curat. diutur. Lib. I. cap. 15.

(3) De febr. Lib. II. cap. XI.

licum, tanquam nondum confectus sit atra bilis, sed in confinio collocatus; et alibi adnotat (1), quandoque in universi corporis venis melancholicum sanguinem contineri (2). — Bilis varias enumerat species. Quemadmodum, inquit, flava bilis tenui humiditate et colore pallidior et consistentia humidior est, sic, ubi plurimum ipsa resolvitur, vitello ovorum similis apparet, quare vitellina vocata est. At in ventriculo bilis alia generatur, quae a porraceo colore porracea dicitur, quemadmodum aliam aeruginosam et aliam ob glauci glasti colorem glasteam, aliam rubram appellant. — Bilis, cujus officina hepar est, facultate acri atque mordace gaudet atque humorum omnium fervidissimus est (3).

Bilis aut superat atque in ventriculo coacervata ventris tormina, syncopen, sitim magnam, vomitum, febrem, excitat, aut depravata mox vitellina, vel porracea, glastea aeruginosa evadit. Oriuntur autem istae mutationes alimentorum corruptela in ventriculo, ingente hepatis calore et ex multis aliis causis, quae corpus male afficiunt, atque varias gravesque excitant molestias (4). Atrabilis a melancholico humore et a flava bile valde differt. Inter bilem atram et melancholicum humorem tantum interest, quantum inter ferrum candens et ignem intactum. Flava vero bilis ab atraeo modo discrepat, ut si flava bilis in partem quandam incubuerit, erysipelas oriatur, si

---

(1) De locis affectis.

(2) Van Swieten in commentarii Hermanni Boerhaavii Aphorismos. Bd. III. §. 1092.

(3) De usu part. Libr. V. c. 4. pag. 356.

(4) Galen. de atra bile. Comm. II. in Progn.

vero atra, carbunculus et cancer; omnia mala ex atra bile orta sanari non possunt, ex flava autem, etsi difficulter, sunt sanabilia. Praeterea variis modis encephali functiones atra bile posse turbari, imo ex toto deleri, constat ex iis, quae jam antea dicta sunt (1). Unde et Hippocrates adnotavit sequentia: Melancholici epileptici fieri solent ut plurimum et epileptici fiunt melancholici.

Ex Galeni opinione igni respondet flava bilis, atra terrae, pituita aquae. Intermittentes febres quotidianas Galenus ex pituita corrupta, tertianas ex flavae et quartanas ex atrae bilis corruptela oriri censet (2).

Ex propositis, ut opinor, satis perspicuum erit, quantam dignitatem Galenus hepati atque bili tribuerit. De meritis Galeni judicare mihi non licet; de hac enim re quot homines, tot sententiae; sed Blumenbachium (3) verum excessisse puto, qui Galenum virum esse summum et unicum asserit et cui, sive vasti ingenii acumen sive immensum doctrinae ambitum spectes, vix alterum universae antiquitatis aequiparare liceat. Ab hac Blumenbachii excellentissimi omnino Heckeri differt sententia (2). Defuncto Galeno, pathologia una cum tota

---

(1) Vide van Swieten Comment. ad Boerhaavium Bd. III, §. 1104. Si in cerebrum perrexerit, atra bilis tum apoplexiam, paralysin, catalepsin, epilepsiam, deliria pessimi generis et fere immedicabilia producit.

(2) Galen. de diff. febr. I.

(3) Introductio in historiam p. 60.

(4) Heckers Systeme und Theorien §. 25.

Das ist jenes merkwürdige System, das 14 volle Jahrhunderte

medicina incepit senescere, successores **Galeni** parum curabant medicinae incrementa, sed potius majorum libros transcribentes ratione propria parum usi sunt. Per mille fere annos **Galenus** existebat medicorum praeceptor, et auctoritas, quam ille hepati tribuerat, per totum illud tempus intacta vigebat. Arabes, etsi majore studio, quam ceterae ejusdem aevi gentes in litteras et artes incubuerunt, parum tantum proficere potuerunt, quum legibus atque moribus impedirentur, quominus ingenuas artes libere tractarent. Itaque nihil fecerunt, quam ut ea, quae a Graecis multa cum diligentia collecta erant, servarent et haud raro sine propriis atque vanis additamentis in posteros transferrent. In terris christianis autem hoc tempore ars salutaris, ut ita dicam, rudis indigestaque moles, sub monachorum ditione magnam labem tulit ac paene interiit (1). Permulta saecula tristis hic rerum status perduraverat, quum in schola Salernitana tandem novus rationalis medicinae amor emergere coepit, quem amorem princeps illustrissimus, ipse litterarum amicus, Fridericus secundus, magis magisque aptis legibus et institutis excitare atque erigere studuit. Rursus **Galeni** praecepta et cum his hepatis auctoritas valere inceperunt. Sic **Gilbertus** Anglicus secundum praecepta **Galeni** morbos

---

in den Schulen der Aerzte als das höchste Gut angesehen wurde, dessen Ansehen und Autorität über Alles ging u. s. w. Weit entfernt, der ächten empirischen Kunst einigen Nutzen zu bringen, hinderte dieses System die Aerzte in ihrem Fache, lähmte ihre Beobachtungen, setzte Spitzfindigkeiten an Stelle der Erfahrung u. s. w.

(1) Ibid. §. 44.

ex sanguine, pituita atra et flava bile oriri affirmat (1). Simili modo Guilelmus de Saliceto theoriam Platonis omnino sequutus est, qui opinatus est, ex hepate, in quo cupidines habitent, materiam peccantem in vulnera transferri. Sed longum est, omnes illas singulorum virorum, ut Lanfranchii, Pachioni, Bernardi Gordoni, Savanarolae et multorum aliorum theorias enumerare, quorum alter omnes pudendorum morbos et dysuriam et fluorem album ab hepatis vitiis, alter febres leviores e putrescente intra vasa phlegmate et ex bile extra vasa corrupta; graviores ex bile in vasis corrupta et ex atra foris putrescente bile derivare studebat. Haud pauci quoque fuerunt, qui syphilidis originem ab hepate deducerent, dicentes, causam hujus morbi in metastasi atrae bilis ad pudendas partes esse ponendam.

Quum hic morbus tunc temporis vehementissimus esset et valde frequens, si sententias de genesi ejus respicis, bilis magnam auctoritatem tunc fuisse, facile concedes. Inprimis autem Nicolaus Massa (2) syphilidem ex bile corrupta derivare studuit, qui, ut opinionem suam tueretur, cadaverum sectiones instituit et contendit, se venas illorum, qui morbo venereo periissent, muco viscido refertas vidisse. Neque defeceruut, qui scorbutum, alterum hujus saeculi morbum, e liene obstructo et humoribus atra bile mixtis derivarent (3).

Restat nunc, ut claram doctissimi Fracastorii de

(1) Gilberti Angl. compend. medic. f. 82.
(2) Nicol. Mass. epist. med. Pars II. 19.
(3) Jo. Wyer, observ. med. rar. pag. 7.

bile sententiam, atque ejus de concoctione in diebus morosis theoriam adjungamus. Phlegma, ait, si causa morbi evadat, facillime et omni die coqui posse, difficilius autem bilem flavam tertio, bilem atram quarto die, unde ex hac materiae differentia varii febris typi deducendi. Sed longum est, hujus doctissimi viri de diebus theoriam huic meae disquisitioni adjungere (1), itaque ad Joannem Wyerum me converto, qui illo superstitionis et tenebrarum tempore morbos sine diabolo irruere et sine sanctorum auxilio posse sanari, dicere ausus est. Conamen magnum meritumque haud parvum. Timendum enim erat, ne ipse propter talem opinionem deorum contemtor haberetur. Atrae bilis infarctus veram atque naturalem obsessionis causam accusat, et remediis solventibus et purgativis meliore eventu tolli quam exorcismo, vir sui temporis spectatissimus egregie docet (2). Theophrastus Paracelsus, qui novum in medicinam tulit animum, quamvis superstitioni indulgeret et vanis studiis operam navaret, tamen medicinae multum profuit, qui inaudita cum audacia de Galeni praeceptis, eo usque sacrosanctis, dubitare ausus est (3). Veterem de bile

---

(1) Vide Fracastor. de dieb. critic. c. 8. p. 300. c. 9. p. 302., 303. etc.

(2) Ioannis Wyer praestig. daemon. lib. I. c. 17. lib. II. c. 19. et multis aliis locis.

(3) Die weil aber das Geschrei über mich geht, ich sei der, der in die Medizin falle und steige nicht zur rechten Thüre herein, will ich mich verantworten, und das also: Saget mir, welcher ist zur rechten Thür hineingegangen in die Arzeneikunde? Durch den Avicenna, Galen, Mesul, Phasim, oder durch das Licht der Natur? Den da sind zweien Eingänge, ein anderer

doctrinam oblivioni tradere et in illius locum novam materiam, quam Tartarum nominavit, et cui ipsas illas bilis functiones tribuebat, substituere studuit. —

Postquam autem chyli iter per vasa lactea in cysternam lumbarem, ductum thoracicum et venam subclaviam omnibus innotuerat, hepati demtum et sanguificationis munus et bilis secretio ipsi assignata simul non amplius habitum est pro cloaca atrabilariam saburram colligente, sed pro variis medicorum hypothesibus varii huic visceri adscripti sunt usus. Quantae lites et turbae inde ortae sint inter scholas medicorum, satis notum est et apud Bartholinum legitur, qui multorum sibi paravit inimicitiam, quod hepati auctoritate privato hoc epitaphium scribere ausus est:

»Siste Viator. Clauditur hoc tumulo, qui tumultuavit plurimos, hepar. Notum saeculis, sed ignotum naturae. Quod nominis majestatem et dignitatis fama firmavit, opinione conservavit. Tamdiu coxit, donec cum cruento imperio se ipsum decoxerit. Abi sine jecore viator, bilemque hepati concede, ut sine bile bene tibi coquas illi preceris.«

Inde dubitare coeperunt medici, an quidem umquam exsistat, vel in morbis, atra bilis. Negari non poterat, quod nigra talis faex quandoque corpore exiret in mor-

---

ist in den bemeldeten Büchern, ein anderer in der Natur. Nun ist es billig, dass ein Uebersehen gehalten werde, welche Thür der Eingang, welche nit? Nämlich das ist die rechte Thür die das Licht der Natur ist, und die andere ist oben zum Tach hineingestiegen. Anders sind die Codices scribentium, anders Lumen naturae. Hecker. System. §. 45.

bis: sed credebant fere semper esse concretum sanguinem, retentione in ventriculo vel intestinis corruptum, et nigricantem. Ita putat Celeberrimus Simson (1), omnino concedendum esse, adustam illam antiquorum atram bilem, quam illi saepe vomitu redditam esse memoriae prodiderunt, aliud fuisse nihil, quam concretum sanguinem. Imprimis illud credi potuit, quum turgente atra bile saepe erodantur vasa, et copioso sanguine sursum vel deorsum excreto pereant aegri. — Non ergo culpandi sunt veteres medici, velut imaginariam morborum causam finxerint, cum de atra bile ad viscera congesta loquuti sunt; hac enim voce tantum intellexerunt tenax et amurcosum quasi sanguinis in visceribus stagnantis, vel tardius moti, spissamentum. Atra enim bilis secundum Hippocratem omnium, qui corpori insunt, humorum glutinosissimus est, ac diuturnissimas facit stagnationes.

Post illam hepatis cladem, de qua loquutus sum, novum Helmontii systema innotuit, quod per aliquod tempus valebat. Caeterum Helmont inter fel et bilem distinguit et ita quidem, ut dicat, fel verum vitae balsamum eam firmare et conservare, bilem contra in sanguine solutam materiam felliformem tantum esse. — Per Sylvium, qui scholae chemiatricae erat conditor, hepar rursus ad magnam gloriam atque auctoritatem evehebatur. Docebat enim Sylvius, bilem in hepate non e sanguine secretam, sed antea jam praeparatam cum sanguine misceri, tum, lympha admixta in corde vitalem fermentationem oriri. Duos autem Sylvius accepit humores, seu

---

(1) Dissert. quarta de re medica pag. 153.

potius acria, et quidem sibi subcontraria, salsum lixivum et acidum; atque ab illis vel purioribus, vel minus puris confluentibus, aut junctis excitari effervescentiam et pugnam. Quae quum acciperet acria, ea valde aberrare, et ex hac aberratione varia morborum genera posse oriri dixit (1), et ex varia bilis acritudine ejusque cum succo pancreatico fermentatione omnes fere morbos acutos et chronicos derivandos esse existimat, ita ex acida et crassa bile obstructiones, ex fermentatione in corde suppressa syncopen, palpitationes aliasque affectiones nervosas. Haec praecepta Sylvii tantam gloriam nacta sunt, atque auctoritatem, ut per maximam orbis terrarum partem vita nihil nisi processus chemicus haberetur. Multi, qui Sylvium sequuti sunt, eandem viam tenebant et vulgatam de hepate atque bile opinionem confirmabant et defendebant, quorum autem nomina et praecepta enumerare, longum est.

Haud longum ante tempus Stahlius novus, neque contemnendus hepatis exstitit propugnator, qui in vena portae hepatis omnium fere morborum chronicorum causam ponere et omnino illam de acritudine humorum doctrinam refutare studebat. De hac creberrima morborum sede maxima ex parte Fridericus Hoffmannus, Stahlio assensus est (2). In hepatis, inquit, vasculoso

---

(1) Sylv. prax. med. Lib. 778.: „Hoc enim observandum diligenter, liquores ad sui confusionem effervescentes, non parum alterari et mutari pro adversi liquoris differentia, quod plane reciprocum est."

(2) Fr. Hoffmann de vera morborum sede. §. VI. §. XVI.

contextu, si sanguis stagnat, vel in venae portae ramis haeret, cachexiam seu malum corporis habitum, haemorrhoidalem fluxum, et spastica quoque et flatulenta intestinorum pathemata. Stagnatio bilis causa febrium lentarum. Multos morbos, praesertim febres, a corrupta bile et pituita derivat, ut febres intermittentes, lentas, putridas. Idem alibi: si hepatis vasis copiosior cruor insidet, tardiusque progreditur, ad icterum flavum et nigrum, ad cachexiam, hydropem, generationem calculorum in vesica fellea dispositio est (1).

De venae portae autem infarctibus amplissime scripsit Kaempf, qui non hepatis portam solam et unicam tam multorum morborum sedem accusabat, sed in vasis ventriculi et intestinorum molestissimos oriri infarctus existimabat, ad quos curandos ille frequentissimum clysmatum usum in medicinam introduxit (2). Haud mirandum est, tam multos huic rei operam impendisse. Praevaluit enim in morbis illius saeculi epidemicis constitutio biliosa, neque ulla complicatio frequentior obveniebat, quam biliosa. Inter omnes autem scriptores Stollius maxime primus vocandus est, qui constitutionem tunc Vindobonae dominantem biliosam in libro suo, qui inscriptus est ratio medendi copiosissime descripsit.

Restat denique, ut ingeniosissimi Schoenlein de hepatis gravitate atque vi sententiam paucis verbis attingam. Venosae ad portam congestionis symptomata, quae

---

(1) Item §. XXVII.

(2) Joannes Kaempf de infarct. vas. ventric. in Haller. disput. pars III. p. 99.

saepissime morborum initio apparere solent, ei non sufficiebant, ut hanc consuetam eorum sedem proclamaret, verum sanguinis humorumque in illis statum, atque vasorum portae dilatationem morbosam egregie in lucem protraxit.

Primum in omni erysipelatum genere systema portarum magnam vim sibi vindicare, existimat (1).

Colorem cutis in his morbis mutatum et quidem flavescentem invenimus, similemque urina et serum sanguinis ostendunt colorem, praeterea omnia illa signa, ut nausea, vomitus et magna saporis amarities adesse solent, quae hepatis affectionem significant. Sectiones hepar sanguine refertum, in inferiore parte griseum, immo coeruleum ostendunt, quae coloris mutatio substantiam hepatis penitus intrat.

Luculentissima vero portae affectae symptomata apparent in morbis arthriticis et in toto haemorrhoidum genere. Priores, inprimis Stahl, hos morbos melius novisse videntur, quam nostrae aetatis medici, qui varias podagrae species inflammationibus et quidem specifico-dyscra-

---

(1) Schönlein Pathol. Bd. II. S. 206. Bei jedem Erysipelas ist das Pfortadersystem mitsollicitirt und spielt eine ausgezeichnete Rolle; ja man kann vielleicht behaupten, der Sitz und Heerd der Affection sei im Pfortadersystem, und je nachdem die Affection von da aus gegen die Leber, was am häufigsten, oder gegen die Milz ausstrahlt, modificirten und änderten sich die Erscheinungen in den äufsern Gebilden. Ist es gleich Thatsache, dafs die arterielle Seite des Pfortadersystems, die gegen die Leber ausläuft, und durch sie begrenzt wird, am häufigsteu ergriffen wird, so wirft sich doch bisweilen die Affection auf die venöse, die Milzparthie des Pfortadersystems.

ticis, haemorrhoidum contra familiam haemorrhagiis adnumerare malunt (1).

Schoenlein, medicus inclytus, singulos morbos summo ingenii acumine distinguit. — In sanguine portae proprium acidum, cujus basis Nitrogenium esse videtur, gignitur; primarium acidum nobis ignotum, sed ex eo acidum phosphoricum, uricum, rosaceum et lacteum. Sunt haec acida in haemorrhoidum et arthritidis formis diversa, ita in malo podagrico praecipue acidum lacteum obtinet, immo in diversis ejusdem morbi stadiis acidorum qualitates diversae esse videntur. Vis medicatrix naturae duas vias ingredi solet, ut aliena et vitiosa e corpore eliminet. Si ejus conamine materia peccans in arterias pellitur, omne arthritidum genus, si in venas, haemorrhoidum series nascitur. In omnibus autem, qui huc spectant, morbis porta justo latior est, quae dilatatio ad venam et cor dextrum extenditur, tunicae venarum praeternaturalem habent structuram, crassiores sunt, firmiores, pelluciditate destitutae, fragiles, haud raro tunica intima rubra; sanguis ipse venosus, magis niger. Aegroti denique de gravi oppletione atque oppressione regionis epigastricae queruntur, nec raro, si manum hypochondriis imponas, intumescentiam haud parvam animadvertis. —

(1) Schoenlein Bd. III. S. 213.

VITA.

Ego Meierus Josephus Semon, veteris addictus fidei sacris, patre Josepho, quem jam diu mortuum lugeo, matre Amalia, e gente Cohn, natus sum Lauenburgi, Pomeraniae oppidulo.

Primis litterarum elementis privatim eruditus gymnasium Gedanense adii, quod tum sub auspiciis Cel. Schaub florebat. Maturitatis testimonio instructus universitatem litterarum Regiomontanam petii et Rectore Magnifico Ill. de Buchholz, in civium academicorum numerum receptus, a Decano maxime Spectabili Ill. Burdach medicinae studiosis adscriptus sum. Ibidem disserentes audivi: Ill. Meyer de bo-

tanice, Beat. Burow de osteologia et syndesmologia, Ill. Burdach de anatomia.

Anno elapso almam Fridericam Guilelmam Berolinensem petii ibique scholas frequentavi: Ill. Mueller de anatomia comparata et pathologica, de physiologia, Exper. Henle de pathologia generali, Ill. Casper de pathologia speciali, Ill. Mitscherlich de chemia, Ill. Lichtenstein de zoologia. In theatro anatomico duces mihi fuerunt Ill. Mueller et Ill. Schlemm. De encyclopaedia et methodologia et de historia medicinae Ill. Hecker. Institutiones clinicas medicas et chirurgicas Ill. Rust, Cel. Wolff, Barez, Truestedt frequentavi.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, quorum de me merita numquam ex animo meo dimittam, gratias ago debitas.

Examine philosophico, tentamine examineque rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Inter venena et medicamina nullum discrimen.
2. Cor non sufficit ad sanguinem movendum.
3. Quo major medicamentorum copia, eo difficilior medela.
4. Justum vitae regimen ad morbos tum prohibendos, tum curandos multum valet.

61 (9)